

JURIS NATURALIS ET GENTIUM DOCTRINA

Metaphysice vindicatur.

DISPUTATIO.



NON equidem ego N. N. de Jure naturali, & Gentium anno superiore ante disputare ceperam, nec destinaveram animo, quam mihi in mentem venisset, certo fore plerisque, qui id consilium, factumque meum, quaquam per se utilissimum atque pulcherrimum, officioque meo remotissimum arbitrarentur; & quasi interdicto mecum contenderent, quod in alienam possessionem temere irruissem, rationeque disciplinarum imprudenter perturbassem. Et vero quid in re tam nova, tamque inaudita poterat aliud expectari? Olim certe vulgaris, & frequenti scholarum usu confirmata ferebat opinio, Metaphysicam, aut totam, aut partem maximam, nihil esse præter asperissimam quasi silvam spinosarum, ac inutilium questionum; quibus jejuna obscurorum umbratiliumque hominum ingenia pascerebantur. Quod si præceptores disciplinae hujus quaestiones illas: *sive Deus unus Opt. Max. ab omni materia convectione solutus? utque hominum voluntates impellat?* attingissent, & quo demum cumque modo pertractassent tum ii profecto videbantur omnino omnem officii sui rationem perolvisse. Hoc vero tempore nemo quidem est, nisi in tota philosophia sit plane hospes & peregrinus, qui nesciat, Metaphysicæ regnum multo longius latiusque patere; & nobilitate & copia rerum opulentissimum esse, ac florentissimum: in quo veluti in orbe magno innumeris maximisque viri a sæculo proximo novas detexere provincias, novaque sola, antea seu incognita, seu inculca & derelicta; quæ ab iis occupata, eorumdemque studiis diligenter exculta fructus uberrimos lætissimosque tulerunt. Enim vero exploratum jam est, Metaphysicæ partem esse, necessario docendi ordine primam, quam nos cum scriptoribus plerisque recentibus græcice *Ontologia*; sive etiam *Ontosophiam* nominamus; Leibnitius autem, vir summus, *Principem illam scientiam* (a) appellabat: in qua, inquit sapientissimus Wolfius, *recludimus omnes cognitionis humane fontes*, (b) & quæ, judice Bælio, *generales entium differentias perscrutatur, quæ attributa essentialia a ceteris adjunctis rerum discernere docet; quæ ideas, seu principia æternæ veritatis suppeditat, quibus omnes veritates aliarum scientiarum probentur, & ad quæ tanquam ad regulam expendantur omnium disciplinarum principia pecuniaria* (c). Hac insuper atate nostra constat, Metaphysicam jure suo partem alteram vindicare sibi, quam, iterum græcificando, aliis *Pneumatologiam, Psychologiam* aliis,

(a) In Act. Erudit. Lips. Anno 1694.

(b) Ontolog. P. P. sect. III. cap. 1. §. 219.

(c) Tom. 4. Oeuvres divers. Metaph. General init.

mihî vero significantius visum est dicere *Noologia*; quæ, ut ad solas hominum mentes animosque referatur, quam utilem tamen, quam necessariam, quamque copiosam ac splendendam asserat cognitionum messem, uni intelligunt sapientes. Sed quem nunc præterea latet, præcipiam illi, amplioremque partem tribui, universam quam dicimus *Naturalem Theologiam*? quo verbo multo sane plura ac graviora significantur, quam ut ego possem, non dicam, oratione illustrare, sed serie vel longissima percensere. Hæc omnia minime dubito, quin sponte mihi docti omnes assentiantur. Namque contra videntur fere universi in me impetum facere, & una pene voce clamare singuli: heus tu! Cave ne porro pergas: hic siste demum: hic tibi pone metam: hic disciplinae tuæ istius amplificandæ modum facito. Satis jam ejusdem protulisti fines; vel etiam, si ita mavis, justissime designasti: quibus vero finibus excedes omnino, vel latum unguem si longius progrediaris. Quod hæctenus dixisti, hoc amplius si quid arti huic tribueris, non hercle suis eam regionibus, sed tuo desines arbitrato: ac tu ipse si quid ultra possis, aut si quid ex hoc loco aliud efficias, non id videberis communi Metaphysicorum, sed tua quadam alia facultate posse, atque efficere. Vide ergo, quam insolenter, arroganterque, ne dicatur, quam inique feceris, dum præterito anno nihil veritus fuisisti, auctoritate propria Jus Naturæ & Gentium ad tuam hanc scholam traducere, proque munere officii tui assumere explicandum. Quæ te, malum, ratio in istam opinionem induxit, ut rerum tam inter se repugnantium faceres consociationem? Nunquam ante alias, ne fando quidem, auditum est, in rerum humanarum negotiis, quæ jure isto continentur, versari Metaphysicam, quam id unum sibi habere propositum consentiunt omnes, ut de notionibus disputet, rerumque formis a communi vitæ consuetudine longissime abtractis: ut jam dudum factum sit tritum sermone proverbium, Metaphysicam esse subtilitates, quæ ab officiis hominum, usumque rerum agendarum videntur abhorreere. Hæc quidem ego utique, Aud. Opt. quemadmodum principio dicebam, atque his similia jam tum mihi obijcienda, rationesque simul, cur obijcerentur, præsentiebam: cum primum constituissem Jus Naturæ & gentium interpretari. Neque vana exitit divinatorio, aut levis suspicio, quam rescivi poëta confirmatam eventum. Amici namque multa mihi renunciarunt, quæ a diversis (quod provincie mihi demandatæ limites, ut putabant ipsi quidem, transiissem) adversus meam deliberationem, operamque susceptam dicebantur: verum enimvero rumores isti sicut ante provisi me a proposito minime potuerunt avertere; ita nunc sparsi haud poterunt deterrere, ne permaneam in incœpto, donec pro modulo,

& ra-

& ratione, quam ipse mihi præscripti, absolvatur; nisi aliter supremi Academiae hujus Moderatores sua sapientia & potestate decernant. Ne tamen aut aliorum judicium, quod semper me maxime sollicitum habet, in hac re videar superbe contemnere; aut obstinato pertinaciter animo id persequi velle, quod semel audaci temerarioque consilio suscepissem; necessarium omnino esse putavi, in hac solemnî studiorum instauratione demonstrare, me haud equidem immerito Jus Naturale & Gentium ad Metaphysicam transiisse; nec injuria illud mihi pro meo munere tradendum arrogasse: quod ne facerem superiore anno, in ipsa prima operis ingressione, dum res adhuc integra erat, multis prohibere. Nunc vero tot ac talia me allaturum esse argumenta, confido; quibus, nisi me omnia fallunt, non modo probabilis, sed plane certa & explorata mea efficiatur sententia; factumque legitimam cognoscatur. Quod dum præsto, vos omnes, quotquot adestis, oro atque obsecro, ut pro vestra quisque singulari humanitate, attente, bonaque cum venia, verba mea velitis audire.

A temporibus præsertim Cartesii, viri ingenio doctrinæque præstantissimi, nihil in scholis, nihil in libris, nihilque vel in ipsis familiaribus doctorum hominum, aut discere cupientium colloquiis cum de re aliqua insolita, aut de nova quadam opinione sententiaque incidit sermo, frequentius præcipi solet, quam ut omnis sustineatur assensus; dum res, qua de agitur, æquis rationum momentis ponderetur, summaque extet idearum, aut notionum appareat evidentia; & ne, qui legunt, vel audiunt, quo tempore pro parte altera disputant, ipsi, quæ contraria sunt, taciti cogitationi suæ subijciant; sed ad extremum expectent: tum vero siquid erit præteritum, aut si res non fuerit integre expedita, ac penitus demonstrata, conceditur, ut pro suo quisque jure sive requirat, sive, quæ in contrarium habet, opponat, sive certe dissentiat. Nihil rursus ab istem temporibus consuevit diligentius commoveri, quam ne quid in veritatis inquisitione præjudicati afferatur, vel si quam opinionem jam aliquis sua mente comprehenderit; si eam argumenta convellent, si rationes labafactabunt, si denique veritas ipsa extorquebit; ne repugnet, eamque animo aut libenti, aut æquo remittat. Quæ sane præceptiones & æquissimæ sunt, & vix unquam satis repetuntur. Etenim opiniones præjudicatæ tantum plerumque valent, itaque mortalium mentes occupant, ut ne exploratissimæ quidem, simplicique veritati, aditum ullum atque locum relinquunt: quod tum maxime contingit, cum contra communem inveteratamque opinionem pugnatur. At vero hoc me mirum in modum recreat ac reficit quod haud nunc mihi opus sunt ejusmodi postulata; cum apud tales disputem auditores, qui optime norant, quam multa sint ex omni scientiarum & artium genere patrum nostrorum memoria prolata in lucem, & hac nostra ipsorum tempestate identidem proferrant, non modo quæ toto præterito tempore in profundo latuerant; sed quæ etiam communi antiquissimæque repugnant existimationi, cum vulgi, tum eorum, qui sapientes quondam habebantur, & erant. Id quoque me magis magisque consolatur, quod senten-

tia, quam hodie defendendam suscepi; etiam si longissime sit a communi intelligentia sensuque disjuncta; alias tamen nunquam fuit hominum disputationibus agitata; & quæ mihi vulgaris vultuque adversatur opinio, non tam est ratione ac studio parta, quam ducta ab incuria vel incogitantia veterum Metaphysicorum: qui in suis dumetis inclusi, istemque mirifice delectati, patientes amœnosque campos, ingenia & disputationes, vel cernere nequiverunt, vel in eos omnino noluerunt exire. Quamobrem ergo mihi videor nemini facere injuriam, quippe qui non aliorum inventa delere, sed novum aliquid conor, quale quale illud sit, efficere: neque aliena invado, sed proprium Metaphysicæ in locum venio superioribus hujus scientiæ Magistris sive ignorantum, sive neglectum. Quod tandem ut aggrediar confirmare, non equidem illud in medium afferam, quod cateroquin omnes, quibus disciplina nostræ indoles perspecta est, consentitur; hanc ipsam reliquis scientiis universis, & litterarum artibus opem, lucemque dare uberrimam atque impartire. Quo spectant, quæ sub dicendi initium ex Leibnitio, Wolfio, ac Bælio de prima ejus parte, *Ontosophia* appellata, recitavimus. Idemque inter ceteros, quibus recentium nomen est, (ut nihil de universa scholasticorum familia dicam) Jacobus Lenfantus non modo probabat simpliciter sed etiam nitebatur ostendere argumentis: quam ob causam multum laudatur a Bælio, qui data ab illum epistola (a) hæc, ad verbum de gallicis expressa, fatur: „Vide ego, te res amplecti pulcherrimas; & præcipue novissima placet mihi „infinitè: ubi ostendis, explicationem plenam & „accuratam minime cujusque rei necessario ad „sublimiorem ducere *Metaphysicam*. Jamdiu ego „istud ipsum quibusdam meis auditoribus dixi; „qui mihi querebantur, quod in quaestionibus „omnium maxime physicis usque ad *Abstractio-* „nes contenderem. Aliter fieri haud poterat, ut „quicquam certi habeatur. Verum, uti antea dicebam, hæc ego prætereo: te res amplecti conficere, Jus Naturæ & Gentium ad Metaphysicam attinere; non minus inde profecto consequeretur, ad eandem res esse aliarum omnium scientiarum, litterarumque omnes referendas: eam itaque esse quandam disciplinarum omnium complexionem: quod quispiam fertur aliquando putavisse; & licet non omnino vere, haud tamen proflus incite.

Prætereundum autem minime est, quin contra permagni faciendum, quod Joannes Henricus Boeclerus (b) narrat, dixisse Grotium, se non potuisse aperte subtiliterque tractare de jure Belli ac Pacis, (quod est ipsum Naturæ, & Gentium jus) nisi unius Metaphysicæ ope. Sed multo plus est Samuelem Pufendorfium in principio statim operis, quod de jure isto navavit edititque, graviter reprehendere Metaphysicos; quod illarum multi de officiis ac moribus hominum (quæ sunt istud idem Jus Naturæ & Gentium, universe intellectum) ne cogitarunt quidem: alii vero ex tam abundantanti messe quosdam tantum flosculos delibarent, perinde ac de inanibus, nulliusque momenti rebus ageretur. Barbeyracius, qui Pufendorfium gallice vertit, multaque rerum accessione locupletavit; & frequentibus illustravit annotationibus,

(a) *Oeuvres Diverses*. Tom. IV. Lettre 59. pag. 608. Je trouve que vous embrassez de très-belles choses, & sur tout, la dernière m'en plaît infiniment, où vous montrez que l'explication exacte & plenièr de la Moindres des mes Auditeurs, qui se plaignoient que dans les Questions les plus physiques, je pouvois jusque aux Ab-

(b) Apud Pufendorf, in *Eride Scandica* pag. 376.

nibus, scite (a) observat, plerisque philosophis Metaphysicæ, aut Primæ Philosophiæ nomine (quo posteriore Pufendorffus utitur) non modo intelligere *Ontologiam*, sed etiam *Theologiam Naturalem*, atque *Pneumatologiam*; quos vero partes nos non arbitrio nostro, vel auctoritate ducti aliena, sed omnino pro rei natura eidem Metaphysicæ tribuendas esse alias demonstravimus. Verum ad Pufendorffum revertamur. Is toto primo operis sui libro, qui haud exiguae molis est, nihil non ex intima, & scholasticorum quidem Metaphysica olet: totque ac talia, & eaque disputandi ratione pertractat, quæ, dispeream, si quis unquam assequeretur. Sileo, quod reliqui etiam illius de eodem jure libri, & per se metaphysicam sapiunt, licet non semper solidiorem, verioremq; & nequaquam possunt accurate intelligi, eis ignoratis, quæ primo in libro differuntur: ex quibus tamen, sed sæpe aliter explicandis, omnino pendet hujus universi juris perfecta intelligentia, & demonstratio. Jam vero, si Grotii, & Pufendorffii auctoritas, sententia, atque exemplum aliquo habentur in pretio; ergone ego quiddam portenti, aut molitri simile dixero, dum ajo atque sustineo, Metaphysicam sibi adsciscere juris naturalis & Gentium explicationem atque doctrinam? sed, ne quis me possit male fidei accusare, hac etiam occasione dicam, Pufendorffum in *Evide Scandinica*, ubi adversarios suos horridis vexat & plane rusticis contumeliis, simul furere & bacchari, virisque omne suæ acerbitatis evomere in ipsam illam Metaphysicam, cujus usum, ad jus istud enucleandum, & in aliis majorem desideraverat, & sibi familiarem, sæpe tamen intolerabilem, reddiderat. Quæ in re mihi ridicule videtur esse incondans; qui eandem cum spernit, tum laudat, adhibetque disciplinam. At nos porro pergamus.

Et quoniam in argumento versamur ab auctoritate petito, quo ad declinandam invidiam novitatis, aliud nullum esse potest conducibilis, in eo diutius adhuc insitum. Sed o quale ac quantum continuo se mihi testimonium offert! nempe Leibnitii, cujus, fateor, ingenium, quod erat in illo summum, mira me delectat suavitate; non ejus tamen omnem, ne in philosophia quidem, ut nihil de religione dicam, doctrinam possum accipere, & approbare. Hic igitur præstantissimus vir, & omni pene scientiarum & litteraturæ genere ornatissimus, in litteris ad Remondum (b) gallice scriptis, si verbum e verbo volumus: ego, inquit, *vel ab ineunte ætate valde contentus sui Platonis Ethicæ, & quodammodo illius etiam Metaphysicæ: ita hæc due scientiæ inter se sociantur, sicut Mathematica & Physica*. Ex his ego in rem meam gravissimum argumentum non more Stoicorum breviter attingam sed paululum dilatabo. Comperta igitur res est, omninoque hoc tempore indubitata, neminem quidquam, aut certe parum admodum, in Physica processisse, neque vero procedere posse, sine comite, atque adeo Magistra & duce Mathesi. Quid? quod hæc eadem enimvero fax illa splendidissima est, cujus unius lumine naturæ vires atque effectus, qui quidem mortalium intelligentiæ patere queunt, quæto ac perspicue videantur; inque evidentem cadant cognitionem. Quapropter Physica tota,

(a) Chapitre Premier, §. 1. *Metaphysique*: Je n'ai point trouvé de terme plus propre pour exprimer le latin *Philosophia prima*. Quelques Philosophes y font entrer non seulement l'*Ontologie*, ou la science de l'Être en général, de ses principales propriétés, & de ses espèces les plus considérables; mais encore la *Theologie Naturelle*, & la *Pneumatologie*, ou le Traité des Esprits.

(b) Recueil de divers. *Piec. Tom. 2. pag. m. 190.* J'ai toujours été fort content, m'ins dès ma jeunesse, de la morale de Platon, & encore en quelque façon de la *Metaphysique*; aussi ces deux sciences vont elles de compagnie, comme la *Mathématique* & la *Physique*.

nisi eruditum illum pulverem attingat, in eoque diu currat, & alte versetur; ut in puram putam Metaphysicam, eamque generalem & vagam abeat, necesse est; aut nudis consistet coniecturis; aut denique sit mera historia & experientia eventuum naturalium; quorum causas, & rationes, explicationesque frustra præterquam a Mathematicis requiras. Quod idem non modo de Physica illa Peripateticorum, incertis & inanibus sæpe, iidemque barbaris vocibus comprehensa (ut iis, qui sic loqui amant, & ipse morem geram temporis causa) acceptum volo; sed de illa etiam Cartesii, Gassendi, & quavis alia, quæ *Datis*, ut ajunt, certis, & Mathematicis demonstrationibus destituitur; compta licet, & nitida oratione splendescat, atque ex speciosis commentis, aut hypotheseis, visisque gratissimis coagmentetur. Etenim omnia quæ in universo mundo corporeo sunt, vel extant, materia, pondere, motu, mensura, figura, sitaque perficiuntur, atque consistunt. Pro materiæ modo aut magnitudine, & discrimine figurarum, pro linearum, quas corpora mota describunt, differentia; pro varietate motuum, eorumque majore ac minore celeritate, & impetu, alii atque alii in corporibus, & ex corporibus eveniunt, manantque effectus; nihilque secus fit, aut est, neque sursum, neque deorsum, nec in Cælo, nec in hoc orbe terrarum. Equis autem est, qui de corporum pondere & magnitudine, qui de lineis rectis & curvis, cujusque generis, earumque proprietatibus disputet? qui figurarum genera, angulos, affectiones cæteras explicet? qui comparationes, & proportionem instituat, expendatque? qui motuum leges, & velocitatum, accelerationumque causas & rationes, atque percussionum modos evolvat? qui lucem, lucisque radios, rectos, reflexos, refractosque, indeque colorum efformationem; qui, ut paucis dicam, omnium corporum vires *vivas*, ac *mortuas*, & phænomena cuncta ad calculos revocet? equis, inquam, est, qui universa hæc, quantum humana infirmitas pariat, præstare valeat, atque efficere, præter Mathematicos solos? Quamobrem, si quis est, qui forte neget, scientias Mathematicas summum jare in rerum physicarum contemplatione desigi; hic, quæ sint nominibus istis notiones subiectæ, crasse ignoret, oportet. Nec aliquis putet, scientias illas suapte natura in ea una tantummodo otari, quam Malebranchius cum Scholasticis *intelligibilem extensionem* docte significanter appellat; non autem ad corpora, ut sunt in seipsis, eorumque effectus demitti, in iidemque explorandis laborare; quæ hallucinatio turpissima est. Nam primum quidem nobilissimæ illæ disciplinæ a rebus externis sese abducunt, & in mente veluti in altissimo domicilio abditæ, ideas ibi æternas, constantes, & immutabiles linearum, superficierum, totiusque trinxæ dimensionis in omnem formam porrectæ, non colore tamen, non qualitate aliqua præditæ, rationesque omnes numerorum considerant; sed iis bene perceptis & demonstratis, foras deinde erumpunt, ad universamque deinceps sese applicant naturam corpoream, quatenus in seipsa apparet, & extat; ejuisque momenta, summam duo, pondus atque mensuram, quibus natura eadem efficit omnia, diligenter exquirunt, ac inter sese contendunt; ut quorumcumque effectuum, quædam fieri potest, certissimas promant

rationes. Nec mihi pro duplici statu hoc, interiore, externoque videntur Mathematicæ disciplinæ inter se ipse differre, quam ædificium in architecti mente formatum, & in solo extructum; quod certe materia tantum, non autem forma & ratione distinguitur. Verum ego jam equidem sentio, plerisque videri facile posse, hæc quæ similitudinis causa huc translata sunt, me fufus, quam par erat, diduxisse: sic tamen erat, mea sententia, faciendam. Quæ namque modo dicebam, ex iis omnis vis oportet emanet argumentationis hujus, qua ex viri scientissimi auctoritate susceptam causam defendo confirmoque. Sed conclusionis brevitate longitudo antecedentium compensabitur. Postquam enim dilucide certoque constat, physica omnia Matheseos esse maxime propria; summa necessitate & evidentiâ consequitur, ut Metaphysica in schola juris Naturalis & Gentium omnino iuste ac legitime regnet; si Leibnitii quidem auctoritas ponderis aliquid habeat; quæ sane plurimum habet: ejus namque judicio sicut Physica & Mathematicæ disciplinæ, ita inter se copulantur Metaphysicæ, morumque philosophiæ; cujus proprium esse jus istud, nemo unus inficitur iverit. Quid enim, rogo, quid, inquam, est hujus juris disciplina, nisi doctrina universa de officiiis, negotiis, ac moribus hominum; cum unius ejuisque erga seipsum, tum erga cæteros, tum denique maxime erga Deum Naturæ Auctorem, Conditionem, Providentemque omnium? Quæ igitur ratione Mathematici sibi vendicant rerum physicarum tractationem, eadem ego, minimum, juris Naturalis & Gentium explicationem mihi Metaphysico fumo. Quamquam haud hoc uno contentus ero; quemadmodum postea, cum, remotis prætermittisque auctoritatibus, rem consciam argumentis ex intima ejuisdem rei natura petitis; exploratum, compertumque fiet.

Sed ne integrum causæ istius patrocinium uni Septentrionalium fidei & auctoritati committere ac credere videar, nunc testimonia quoque professorum Italorum; a quibus *doctiora & acutiora dici, quam quæ a frigidiorum orarum incolis expectari queant*, tam ingenuè, quam vere fatetur Joannes Clericus, vir acerrimo, liberrimoque ingenio, in epistola (a) ad Joannem Baptistam Vicum, sapientissimum atque eruditissimum hominem Neapolitanum, suæque in patria Eloquentiæ præceptorum. Quo autem studeam brevitati, duos tantum ex hac nostra inclita gente, sed omni exceptione majores, testes excitabo. Quorum alter est Paulus Matthias Doria, haud scio familiaris, an suo-pte ingenio & scientia clarior; qui totam, quam tradit doctrinam de Moribus, ex Metaphysica, tamquam suo ex fonte hausit; illamque tres in partes tributam adeo metaphysicè pertractat, ut nihil magis metaphysicum esse possit: quod si quis forte dubitet, hujus præclarissimi viri *Platoniam Philosophiam*, italice scriptam, legat, meque deinde conveniat. Sed hunc velim cavere sibi, ne *Metaphysicæ & Moralis* nominibus, quæ ibi occurrunt, moveatur: non enim nomina varia, sed rerum naturæ, rerumque cognoscendarum differentes rationes, diversisque modi scientiarum formas & species tribuunt, atque inducunt. Quæ de re dicturus in loco sum. Rursus idem Doria Metaphysicam meliorem convertit quasi in succum & sanguinem *Vine Civitatis*, lingua item italica ab eo editæ; quam nominatus jam Clericus (b) mirum in modum commendat, & summa capita fufe exponit. Nihil nunc porro necesse est factum Do-

riae nunquam contedere, ut unus extet apparatusque utriusque consensus: quippe lucet ipse per se. Nam morum vitæque civilis scientia, & juris Naturalis & Gentium disciplina, sunt quidem nomina duo, sed eadem & una res, omnino simplex.

Doriæ Vicum, modo nominatum, adjungo; quos & novi cum amicitia, tum ingenii & doctrinæ magnitudine conjunctissimi nos. Sed quia istius opera nonnullis videntur obscuriora, proptereaque ab eorum lectione rejiciuntur, nec ea tanti faciunt, quanti fieri mereantur, non ab re fuerit præmonere, Clericum ipsum Vici libros duos *D: Universi juris uno Principio, & Fine uno; de Constantiâ jurisprudentis*, summis laudibus ad Cælum efferre (c), eorumdemque librorum causâ præclarum illud, atque verissimum de Italis fuisse judicium, quod paulo ante retulimus est. Hic ergo Vicus in prioris libri proloquio meam sententiam verbis sequentibus ad unguem confirmat: *Principii loco statuendum esset, jus æternum verum, ac proinde inter omnes, & semper & ubique jus: æternam verorum scientiam, quam Criticam veri definiunt, Metaphysica explicat. Ea una igitur posset jus demonstrare, de quo tibi adimeretur infelix arbitrium dubitandi, ac sit iustum: ac proinde ea esset philosophia, ex qua juris principia accersenda essent, in quæ omnes amice, constanterque convenirent: atque ea esset regula æterna, qua metiri possemus, quantum juri naturali gentium jus civile Rom. addiderit, quantum detraxerit; & sic principia juris civilis Rom. haberemus explorata. Hinc desiderium animum incescit, an Metaphysicæ ope jurisprudentiæ principia ejusmodi statui possent, in quæ omnia demonstrata congererent. His ego, dum in argumento sum, ex loco auctoritatis deprompto, nihil possum luculentius, nihilque nervosius ad causam meam stabilendam exoptare. At tempus nunc est, ut rem tandem aggrediar conficere rationibus, ex ipsis visceribus causæ fumendis.*

Cum autem omnis, quæ ratione suscipitur de aliqua re institutio, debeat a definitione proficisci; primum videndum est, quemadmodum Metaphysica definiatur, ut intelligatur, quæ sit illi subiecta materies. Scientiæ namque omnes, & facultates universæ ex rebus, in quarum cognitione, & actione versantur, debent necessario definiri, quo earum natura perspecta teneatur: quod & per se notissimum est, & mox etiam demonstrabitur. Metaphysicam porro Aristoteles, & cum eo docti omnes sapientiam esse affirmant. Sapientia vero est *rerum divinarum & humanarum scientia*. Res divinas mitto nunc, quæ, contra omnem dubitationem, Metaphysicæ, hoc est ejus parti tertiæ, *Theologiæ Naturali* nuncupatæ, una omnium consensione tribuuntur. Sed quæ, rogo, effragitæque, quæ, inquam, *humanarum* nomine intelligi queunt, nisi mores, nisi officia, nisi deliberatæ hominum actiones; seu intelligentia, ratione, consilioque mentis animique proposito susceptæ adversus Deum Naturæ Auctorem, Servatoremque, & singulorum adversus seipsos, ac demum adversus cæteros mortales omnes, pro ordine & conditione quorumlibet? Atqui hæc omnia naturæ legibus, seu jure naturali & Gentium reguntur ac temperantur; quin verius, ut supra dixi, illa simpliciter sunt hoc ipsum jus, universè, omnique ambitu suo comprehensum. Utrum ergo juris istius interpretatio a Metaphysica aliena ereden-

(a) Raccolta d'Opuscoli scientifici, e Filologici Tom. 1.
(b) Bibliot. Anci. & Moder. Tom. V.
(c) Ibid. Tom. XVIII. & Epist. iup. dicit.

dena est; an non potius illi maxime propria, omninoque sua? At enim non sum nescius, modo positam sapientiam, atque Metaphysicam definitionem a plerisque Philosophis universae accommodari. Scio etiam bene multos queri solere, definitiones non modo nominum, quod cuique philosopho licet; sed etiam rerum, quod nemini concessum est, ad arbitrium definitum saepe concessum est; neque rerum definituram proprias completi potestates. Quae causa duae me enimvero vehementius impellunt, ut Metaphysicam naturam a suprema origine quam diligentissime repetam, apertissimeque evolvam: quod cum fecero, plane demonstratum erit, commentationem juris Naturalis & Gentium in hujus disciplinae ditione ac potestate, sine ulla controversia, esse. Isthuc vero est Scholasticorum doctrina de natura generationis omnia scientiae efferenda: eoque magis, quod ex horum secta praesertim audiverim extitisse, qui factum meum gravius tulerunt, utque a meo manere usquequaque dissentiens condemnarunt; quod isti forte assueti glande vesci, optimas nobis frumdas subinvident, in solo ab eisdem relicto inventas. Ceterum dum doctrinam dico Scholasticorum, verissimam, quantum ad praesens attinet, necessariamque profus dico doctrinam. Omnium itaque scientiarum natura, proprietatesque illarum omnes sic ex natura, indole, modoque rerum cognoscendarum proficiuntur, ac pendent; ut si res nulla neque in seipsis essent, neque earum ideae, & formae extarent in mente aliqua, nulla quoque esset, neque vero posset esse scientia; quae in rerum, idearumque cognitione, & comparatione posita est. Ex quo consequitur, res omnes aut reipsa & in se, aut certo in alicujus mentis notionibus quoquo modo prius existere oportere, quam ulla existat scientia: id quod etiam in Deo ipso locum habet; in cujus mente, non tempore quidem, sed vera tamen intelligendi ratione, species aut formae rerum omnium scientiam anteverunt. Nam id omne, ex quo aliquid quomodolibet sequitur, ante existat, aut saltem, ante existere intelligatur, necesse est: cum ergo vi & facultate mentis cogitantis, comparationesque instituentis scientiae omnes efficiantur ex rebus rerumque formis; equis dubitet, quin haec illas aliquo debeant modo praecedere? Hinc autem rursus conficitur, ex rerum cognoscendarum discrimine, exque aliis atque aliis eas cognoscendi rationibus scientiarum pariter fieri divortia, & esse differentias. Praeternissis rebus ceteris una cum scientiis earundem, pro certo nunc habeo atque concessio (quod alias demonstravi) esse aliqua rerum genera omni admittione corporis, omnique dimensione, vel intelligibili, atque omni corporea qualitate liberata, pura, & integra: quorum principem atque supremum obtinet locum Deus Opt. Max. cui subiciuntur mentes omnes creatae. (nihil in praesentia dico de segregatione illa ab omni materia, quam mentis cogitatione res universae consequuntur, generales communefque subeundo notionem.) De rebus porro ejusmodi oportet, ut sit, & esse possit scientia aliqua. Haec nos vulgari jam nomine Metaphysicam appellamus: alii appellant, sicut libet; nihil enim impedit, in modo consentiamus. Ipsa subinde ut totum quoddam, in plures tribuitur partes componentes; non vero ut genus in species certas dividitur; sed contra species manet una eademque individua scientia, atque adeo sapientia; propterea quod res universae, quae illius cognitioni, & inquisitioni subiciuntur, etsi natura inter se comparatae differant; in eadem tamen conveniunt materiae &

(a) Nam. V. Edit. Verburg.

cujusvis dimensionis qualentia, atque secretionem cujusque corporea qualitatis; eorundemque etiam principiorum usu investigatur, explicantur, & cognoscuntur. Jam porro, ad rem ut proxime accedam, & quod volo, ex his, quae dixi, conficiam; quis tandem dubitabit, quin rebus suapte natura plane incorporeis; nullamque imaginem, aut figuram, ne in mente quidem habentibus, jus Naturale & Gentium adnumerandum sit? quis contra hincere audebit? Num jus hoc aliud quicquam est, nisi rerum & actionum humanarum sempiternus, ac necessarius ordo; qui nec sensu, nec imaginatione, sed pura tantum intelligentia percipitur, atque tenetur? Num aliud quicquam est, praeterquam leges, quas nobismet ipsi ferimus, non pro arbitrio quidem, & opinione incerta, sed necessaria naturalique vi & facultate mentis nostrae, illo rerum & actionum sempiterno ordine explorato, atque consulto? quae leges sunt cognitiones, sententiaeque, aut mentis iudicia; quibus intelligimus, ac porro decernimus, quid in quolibet rerum genere expetendum, agendum, fugiendumque sit. Denique jus istud, si pro materia ipsa juris, quod saepe fit, ac fieri debet, usurpetur; quid aliud rogo est, quam virtutes imbuentes animum, hoc est voluntatem, & actiones virtutibus congruentes, quae ratione & animo abfolvantur: quibus adde vitia virtutibus contraria, quae pariter ex mente animoque oriuntur, ibique habent quasi sentinam. Res itaque completissima est, jus nostrum ab omni materiae confectione omnino solutum esse; atque hinc simillimum, quin eundem profus consequi intelligentiae modum, ac res ceterae, quas, nemo negat, Metaphysicorum provincia contineri.

Verum ut omnis tollatur in hac parte diffidii & erroris causa, magisve, quae modo dicebam, illustrentur; opera pretium est, pulcherrimum Ciceronis locum ex Topicorum libro (a) isthuc exprimerem. *Definitio autem, inquit, duo sunt genera prima. Unum earum verum, quae sunt, aliterum earum, quae intelliguntur. Esse ea dico, quae cerni, tangi possunt, ut fundum, aedes, parietem, silicidium, mancipium, pecudem, suppellectilem, penus, cetera, quae ex genere quaedam interdum nobis definienda sunt. Non esse rursus ea dico, quae tangi, demonstrari non possunt; cerni tamen animo atque intelligi possunt: ut si usucapionem, si tutelam, si gentem, si agnationem definias; quarum verum nullum subest quasi corpus: est tamen quaedam conformatio insignita, & impressa intelligentia, quam notionem voco.* Haec, quae Cicero exempli causa ad suum propositum asserbat, ego ad omnia, quae sunt juris Naturalis & Gentium, quin etiam alius cujusque juris, quadrare affirmo. Sed actiones & officia universi juris ab hujus sunt externa materia discernenda. Materia haec sunt sapientissima res, quae cerni tangi possunt; quarum naturam, nihil per se attinet ad juris facultatem & disciplinam investigare, atque cognoscere: ut qualis quantisque sit fundus, paries, pecus, suppellex, cetera; quorum cognitio aeternitateque illiteratis plerumque hominibus permittuntur. Juris autem officiorum & actionum, quae quantum bene, aut male, iuste, aut secus sunt, sola ratione, animoque persolvuntur, in hisse consistunt, nullum subest quasi corpus; sed est eorum quaedam dumtaxat conformatio insignita, & impressa intelligentia pura; quae nulla figura, nullaque imagine exprimi potest, contra quam accidit in rebus ad Physicam & Mathematicas disciplinas pertinentibus, quae & intus in mente suas habent figuras, imagines, sensusque, & extrinsecus cerni,

DE JURE NATURALI ET GENTIUM. 225

cerni, tangi, demonstrari possunt. Est ergo jus nostrum, atque adeo jus universum, per se & suapte natura ab omni admittione corporis, corporeaque imagine ita secretum sincerumque, quemadmodum sunt reliqua omnia, quae sine controversia Metaphysicæ conceduntur; eundemque cum iis cognitionis modum assequitur. Nemo hinc tamen sibi putet fas esse concludere, jus quoque civile, ac jus omne voluntate positum, æque ac jus nostrum, Metaphysicæ potestati subesse. Haec enim necessaria solummodo, aeterna, ac immutabilia, quaeque ad scientiam rationem conditionemque naturam sua pertingere queant, quale est jus ipsum Naturale gentium, sibi adsciscit. Jus autem voluntarium universum, quae voluntarium equidem est, conditorum arbitrio, & auctoritate pro rerum ac temporum opportunitatibus constituitur; quae cum in multa sint varietate, & vicissitudine; jus quoque istud ipsum mutabile est; eamque ob causam proprie in scientia cognitionem non cadit. Haud tamen negaverim, juris etiam istiusmodi, civilis voluntarii maxime, quod a Naturali certa ratione emanet, fontes & capita summa in una Metaphysica reperiri. Sed hoc nihil nunc mea interest, qui unum velim jus Naturale Gentium huic scientiae adjudicari, ejusque ditionis terminis comprehendi. Quod si cui forte videatur nondum satis demonstratum esse, neque ad intelligentiam omnium satis adhuc explicatum; perficiam, ut spero, deinceps utrumque, ex partibus rebusque illis ipsis, quarum Metaphysica minime litigiosam, sed stabilem & certam possessionem habet; de qua nisi vellet quispiam aliquid iniuste detrudere, in ea, omnino contentendum est, juris quoque istius tractationem includi.

Primum equidem partem, *Ontologiam* nominatam, haud ego in praesentia attingam; quae cum per omnes scientias disciplinaeque latissime effundatur, nihil est, quod ex ea causa huic peculiariter ac proprium praesidium comparem. Reliquas igitur partes duas, rebusque illarum disputationibus suppositas excutiam paululum diligentius, ut ex iis eliciam argumenta, quae & in necessaria demonstratione versentur, & luce appareant clariores. Age porro ab illa, *Noologia* quam dicimus, parte exordium capiamus. Etsi autem *Noologia* nomen, natura omnino graecum, latine tantum inflexum, originem ducat *noo* & *logia*, hoc est a *mente*, nolim tamen quempiam arbitrari, hanc Metaphysicam partem in una intelligendi facultate, hujusque variis cogitationum generibus expendendis absolvi, hisse quasi cancellis circumscripti. Nam & *noo*, & *mens*, saepe licet solam cognoscendi ratiocinandiue vim significet, haud tamen minus frequenter apud Graecos Latinosque scriptores, maxime Ciceronem, animam ipsam cogitationum, appetitionum, declinationumque omnium fontem ac sedem, significat. Ceterum, ut dicam obiter, quamvis nomine isto ipso per se & simpliciter usurpato graeco æque atque latino, cum Deus Opt. Max. quem mentem, eamque infinitam rectissime dicimus, tum res aut substantiae omnes creatae, & finitae intelligentia, & voluntate praeditae appellentur; attamen hanc, de qua loquor, Metaphysicam partem ex illo a me nominatam, ad solam mortalium animae contemplationem ego contrahendam existimavi; quod pars illa, quae tota supremi Numinis studio dedita est, *Theologia Naturalis*, nominis suo proprio nuncupatur; mentes autem inferiores Deo, superioresque homine sacra seposita auctoritate & experientia, existant nec ne, vix possumus, ac forte ne

Serry Tom. VI.

(a) Edit. Verburg. num. V.

vix quidem ulla certa & necessaria ratione cognoscere: utque id daretur, in earum tamen natura & proprietatibus investigandis paulum oppido proficeremus: cujus rei facillimum esset, si institutum posceret, aut pateretur, solida proferre argumenta. Ideo vero, ut hoc quoque per occasionem admoneam, potius *Noologia* graece a mente, quam *Pneumatologia* a spiritu, aut *Psychologia* ab anima, item graeca lingua vocandam esse duxi, quod & spiritus & anima cum Graece tum Latine ancipitem multiplicemque habent significationem, ac saepe mera corpora, putaque corporum affectiones designant; quo vitio procul omnino abest mentis vocabulum. Pauca haec, quia loquor omnibus. Nunc pressius acriusque propositum persequamur.

Minime igitur dubitandum est, quin integra anima ipsa, (quo potest modo dici integra) quae tota est intima hominis natura, totusque interior homo, tradenda concedendaque sit Metaphysicis parti alteri; quae eam ipsa sibi summo studio undique contemplandam assumit; in eaque tanquam in solo proprio colendo occupata est. Haec enim una anima naturam rimatur, penitusque introspicit; haec illius declarat originem; haec ab illa omnem remover molem aut magnitudinem, qualitatemque corporum omnem; haec ejusdem vires aut facultates fecerit, distinguit; ipsarumque virium munera & actiones explicat; atque harum ordinem, cognitionem, murumque nexum, convenientiam, & discrepantiam reteggit. Sed quid ego demens ista percurro? quae hoc tempore & vulgatissima sunt, & sine diffidio omnes ad unam, qui sapiunt, ad tractatum de anima hominum pertinere, atque idcirco in Metaphysicorum potestate esse, concedere debent; jamque idem ego ab ipso usque scholae hujus initio inter anticipationes tenebam, atque porro pergam tenere. Duplex est autem vis animae, intimae nostrae naturae. Una pars in omni cogitationum genere posita est, quam ego deinde in hac disputatione breviter, vitandaeque ambiguitatis causa mentem constanter appellabo. Altera in appetitu bonorum, malorumque declinatione, qua homo huc, & illuc modo invitatus rapitur, modo incitatus quidem, sed sponte tamen, consultoque fertur. Haec, quam alii Voluntatem, aut volendi atque volendi facultatem dicunt, dicam ego animam ex recondito genio latinae linguae. Vici auctoritate fretus, viri quemadmodum Metaphysica, ita Philologia, aut litteratura plane singularis, atque eximia, Jus porro naturale universum (ne quid nunc dicam de jure Gentium, quod illius certus quasi rivulus est, aut certa quaedam propago) oportet ab intima hominis natura, unde & nomen habet, repetere, & explicare. Quod nisi feceris, minimum profecto est, quicquid aliunde possis de homine interiore cognoscere: qui contra juris istius interpretationem clarissimam in lucem educitur, sibi ipse modo quodam incredibili manifestatur. Sed convenit Marcum Tullium Ciceronem de re hac lib. I. de Legibus (a) summa perspicuitate & elegantia more suo differrentem proferre. Cum itaque Titus Pomponius Atticus, & Quintus Frater affirmarent, cupere se vehementer de jure ac legibus aliquid audire uberius, quam usus forensis desideraret; haec utriusque Marcus respondet: *Et recte quidem. Nam sic habetate, nullo in genere disputationis sic patet, quid sit homini tributum natura, quantum vim rerum optimarum mens humana contineat, cujus muneris colendi efficiendique causa nati & in lucem editi sumus, quae sit conjunctio hominum, quae natu-*

valis societas inter ipsos. His enim explicatis suis legum & juris inveniri potest. Atticus: Non ergo a Pretoris Edicto, ut plerique nunc, neque a XII. tabulis, ut superiores, sed penitus ex intima philosophia hauriendam juris disciplinam putas. Marcus: Non enim id quaerimus hoc sermone, Pomponi, quemadmodum caveamus in iure, aut quid de quaquo consultatione respondeamus. Sit ista res magna, sicut est: quae quondam a multis claris viris, nunc ab una summa auctoritate & scientia sustinetur: sed nobis ita complectenda in hac disputatione tota causa, nivesi juris est, ac legum; ut hoc, creulo quod dicimus, in parvum quendam & angustum locum concludatur natura. Natura enim juris explananda est nobis, eaque ab HOMINIS REPERTENDA NATURA.

Quamobrem anima nostra, interior noster homo, nostraque intima natura mihi fundamentum & quasi solum quoddam videtur, in quod omnium fator rerum semina sparserit juris Naturalis, ex quibus per mentem & animum, tanquam per geminam stirpem procreetur, adolescat, eisdemque perfectum contineatur. Jus namque hoc universe in legem, legisque materiam distribuitur. Naturae autem lex, si proprie, omnique translatione semota, loqui velimus, nihil est nisi ipsa mens nostra, quae ex cognitione sempiterni ordinis, si ve necessarii, si ve convenientis, animo jubet ea, quae faciendae sunt de omni genere rerum; prohibetque contraria, aut vero permittit conceditque in medio posita. Quippe omnis lex, ut ex Ciceronis libro secundo de inventione (a) colligitur, aut imperat aliquid, aut permittit, aut verat. Quod jubetur atque vetatur necessarium; illud, quod permittitur, voluntarium est: lex nimiram jubens, ac vetans adstringit animum: illa suo modo impellit, ista cohibet: lex vero permittens liberam eidem animo integramque facit eligendi, respiciendique potestatem; quae non iniuste, non inhoneste, sine crimine, sine culpa uti potest, atque non uti. Ex quo necessarium aequae, atque facile intellectu est, legum naturalium materiam universam esse tum virtutes omnes, quae quidem proprie simpliciterque virtutes appellantur, hoc est morales quas dicimus, sed intra naturae oras ordinemque subsidentes, tum officia his virtutibus consentanea; tum vitia turpesque actiones, quae oriuntur a vitis; tum actiones denique medias, quae per se & omni honestate carent, & nulla sedantur turpitudine, neque in virtute, neque in vitio sunt, neque laude & praemio; neque vituperatione supplicioque dignae; sed ex fine & animi destinatione in partem alterutram referuntur: in quibus tamen, utpote permittis, si impedimentum alteri alter afferat, jus potestatemque violat alienam; quod ne fiat, naturali lege vetante cavetur. Perspicuum porro est, omnium dominam & reginam virtutum Prudentiam una cum suis ministris comitibusque in mente, quasi in puppi clavata tenentem, sedere, quo ceteras regat & moderetur, quae in animo habeat domicilium, ut Iustitia, Temperantia, & Fortitudo: quarum singulae alias plures tanquam ancillulas pedissequasque sibi adiungunt; & quasi fontes in varios subinde rivulos deducuntur; qui tamen non extra animum effluunt; suas licet vires in corpus etiam quadam exercent ratione. Virtus namque omnis, quae de agimus, est mentis & animi habitus, si ve affectio firma & constans, naturae modo, ordini, & Rationi conveniens; quam qui habet vir bonus absolute nominatur & est, ejusque actiones omnino bonae sunt,

(a) Edit. Verburg. Num. 40.

(b) Lib. 2. de Nat. Dew. Edit. Verb. num. 42.

laude & praemio cumulanda; quas pariter actiones nemo non intelligit, proprios mentis esse animique modos, aut affectiones non stantes quidem, manentesque, sed fluentes, atque praeterites: ex quibus tamen certa quaedam, si ve generis, in mente ipsa animoque relinquuntur vestigia, quae si actionibus siidem saepius diuturnoque tempore iteratis alte fuerint impressa; ipsi virtutum habitus magna utique cum difficultate ingenerantur: ex his vero perfectis similes subinde manant actiones facilitate summa. Nemo rursus ignorat, vitiositatem omnem, virtuti universae contrariam, esse (quoque menti & animo inherentem habitum, aut affectionem in tota vita inconstantem, & a seipsa dissentientem; itaque mentem & animum tanquam sentinas omnium esse vitiorum; quae cum & ipsa, non secus atque virtutes, affectiones sunt manentes, perturbationibus crebro ac diu moventibus, pravaramque actionum frequenti longoque usu, haud tamen sine quadam naturae repugnantia, contrahuntur; quibus vero contrariis quique multo habilior procliviorque efficitur ad scelera & actiones vitiosas illis ipsis respondentem, quae scelera & actiones similiter ita mente animoque perficiuntur, ut ex corporis motibus & actionibus, quemadmodum ad virtutem ejusque officia nihil bonitatis adijcitur, ita ad vitiositatem ejusque peccata nulla fiat accessio pravitatis: quod, qui sapiunt, nullus dubitat. Ad extremum etiam actiones, quas medias nominamus, quippe quae nec imperatae, nec vetatae, sed permittae atque concessae, certum est per se ipsas mente simul animoque absolvi. Quae omnia tametsi & notissima sunt, & a nemine, qui animam a corpore diversam agnoscat, in disceptionem vocentur; ea tamen oportebat paululum distinctius enarrare, aut verius in memoriam reducere, ut quisque apertius promptiusque vim intelligeret argumenti, quo ego velim propositum tenere. Jam ergo ex toto tandem atque omni ex parte manifestum est, Jus Naturale universum ab intima hominis natura, ab anima scilicet, hujusque facultatibus reperendum exprimentumque esse; ibidemque penitus insitas conclusasque manere cum naturae leges, tum earundem legum materiam, proximam atque per se spectatam a legibus, quibus extranea ac tantum accessoriae existunt res ad corpora pertinentes, hominum beluarumque communes; inter quos ceteroqui nulla intercedit juris legisque communio. Solum enim, ut Cicero ait (b) *Ratione utentes iure ac lege vivimus*. Nec vero quemquam movere debet, quod & scientiae reliquae, disciplinaeque omnes, earumque notionis ac speciei ab anima ipsa nostra, ejusque viribus exprimentur, eisdemque inharent, vel etiam, ut plerisque visum est, ab origine ingentis sint, atque innatae; si ve cunctae, si ve pleraeque: quae res utrum habeat sese, nullum nobis facessit negotium. Scientiae namque illae ac disciplinae, earumdemque formae, undeliber, & quoquo modo procreentur, certo certius adventitiae sunt quasque hospites ac peregrinae naturae humanae; neque ad ejus constitutionem perfectionemque pertinent necessarium, sed ad ornamentum, suppellectilem, abundantiam, copiam: generantur illae, fateor, (quomodo namque id possum negare?) generantur, inquam, in anima, & ex anima, in eaque aluntur & conservantur, sed animam ipsam nequaquam constituunt; quae sine illis optime esse, atque intelligi potest: ac praeterea per se & suapte natura ad corpora, & ea, quae corporum sunt, consideranda perspicendaque com.

comparantur, & diriguntur. At contra vero anima, intima hominis natura, ipse interior homo sine jure naturali, sine naturae legibus, legumque materia, neque potest existere, neque certe ullo modo cogitari. Hominem namque a natura elegendem si tibi confingere voleris, simul mentis expertem arbitrare oportet; Mens siquidem ipsa, ut antea dicebamus, lex naturae est, eaque necessaria: quae mens simplici absoluteque necessitudine animo deliberanti, expetere, fugere, aut agere aliquid, continuo jubet honesta, (quo verbo omnia juris naturalis, & cujusque generis officia complectimur) vel vetat contraria, vel denique exhibet conceditque media & indifferentia. Quod si forte rursus hominem neque virtutis praeditum ornamentis, ejusque fungentem muneribus, neque e contrario vitis atque sceleribus turpificatum comminiscere, aut illum demum omnibus etiam indifferentibus spoliis actionibus, nō & animo privatum intelligas, necesse est. Equis namque possit animum percipere, aut putare omnino otiosum, inertem, brutum, nihilque prorsus agentem, atque nullam unquam in partem sese agentem? Verum haudquaquam absolute oportet, existerem, aut intelligere hominem poetam, oratorem, physicum, geometram, astronomum, pictorem, statuarium, architectum, neque etiam agricolam, militem, nautam, aut quid aliud simile; licet haec omnia partem necessitati serviant, partim commodo & oblectationi vitae hujus corporeae atque mortalis: quae rursus ex mente, & animo, jure, aut injuria vacare non possunt.

Quae cum ita se habeant, quotusquisque tandem audebit inficias ire, juris Naturalis, (ac proinde juris quoque Gentium, quod singulari quadam ratione illius certus furculus est, ut a nobis cum D. Th. Leibnitio, aliique ingeniosissimis viris explicatur) tractationem ad *Noologiam* pertinere, secundam *Metaphysicam* partem; quae tota in intima hominis natura, in interiore homine, anima videlicet ejusque viribus edifferendis occupatur. Equis, rogo, est, aut esse unquam poterit, qui cujus fundum esse concesserit, ei vero fructus abjiceret fundo ipsi a natura insertos, innatosque, aut potius ipsas intimas fundi proprietates, & affectiones, ne cogitatione quidem ita ab eo separabiles, ut sine illis existerem intelligatur posse? Quod tamen profecto faciunt qui animam hominis, ejusque vires, mentem & animum *Noologia* tribuunt exponendas; eidem autem juris Naturalis subtrahunt disputationem; quando jus quidem istud nihil aliud est, quam anima, & natura ipsa hominis, mensque & animus, harumque virium actiones, & habitus naturales, ac necessarii ex parte alterutra, ut dictum modo est. Quamobrem homines isti, quod nomine suo, & re ipsa nobis adscribit conceduntque, illud idem sola nominis commutatione negant, & auferunt.

Nostra ergo est (si modo nos *Metaphysici* sumus, si in natura hominis propria, si in illius anima, si in hujus facultatibus, mente, animoque explicandis adhibendi auctores & Magistri sumus) nostra est, inquam, omnis ista juris naturalis prudentiae, doctrinaeque possessio; in quam homines, quasi caducam, atque vacuum, revera *Metaphysici*, qualescumque demum, sed alio nomine, alioque titulo involaverunt, atque etiam irridentes, & merito quidem, eos, qui cum illam suam praepotentem & gloriosam *Metaphysicam* profiterentur, seque ex illa superbe nominarent, spinosis tantum & exilibus quaestionibus (ea erat calamitas temporum) confictabantur, Serry Tom. VI.

(a) Lib. 1. de Orat. num. XLIV. edit. Verb.

& meris propemodum nugis praclarissima ceteroquin ingenia consumebant; id quod ubique tandem unquam fieri desinit fit.

Verum haudum ego quasi jam parta certaque victoria exulto. Video namque mihi, (nihil dissimulo) difficile adhuc restare certamen, alexque plenum; non meo equidem sensu, sed praedjudicata adversariorum opinione; qui si forte hoc loco consisterent, viderentur velle hanc loquacitatem meam vultu ipso aspectuque conterrere: parique illorum etiam non exigua, nos tantum in scholas aridis disputationibus percrepentes, & vanissimis subtilitatibus, horridaque verborum insolentium pugna resonantes, tanquam in aliquo pristinum, detrudere & compingere niterentur: omnes vero quamquam inter se ipsi dissidentes, sibi invicem infestissimi, tamen veluti uno agmine facto conspirarent ad *Metaphysicum* repellendum ab *Juris Naturalis & Gentium* interpretatione: meque ex jure manum confertum vocarent, quod ausus fuerim antiquissimas scientiarum possessiones movere, veterum atque recentium philosophorum firmatas consensu. Quid? minaces ex me quaerent, quid hoc aliud est, quam *Ethicam universam*, *Monasticam*, *Oeconomicam*, *Politicam* de sua certa perpetuaque possessione desicere, eamque funditus convellere, atque delere? Hujus namque scientiae, nemo haecenus dubitavit, quin omnino propria sit juris ejusmodi explicatio: quod jus & omnes mortaliu personarum, ac status, & personarum, statuumque officia complectitur. Quid hoc aliud est, quam per summam aequitatem rejicere & improbare cunctis, ab heroicis usque temporibus, acerrimam *Philosophiae universae* partitionem? Cujus post hominum memoriam species una est, & ceteris omnibus differens, ea, quae mores actionesque hominum ac civium pertractat. Quid denique hoc aliud est, quam immani atque intoleranda confusione permiscere & conturbare *Theoreticas*, *Practicasque* scientias? quae duo sunt genera summa; quorum altero, non unus aliquis etiamnum suspicatus est, non concludi potissimum eandem ipsam *Moralem Philosophiam*; quemadmodum in priore illo principem tenet locum *Metaphysica*.

Huc nempe me, Aud. Opt. adversarii mei operiebantur: & ego enim vero illos. Itaque fremant omnes licet (ut loquar, quemadmodum Crassus, aut Cicero (a) in re nihilo sane graviore, & falsa praeterea, & secum ipsa pugnantem loquebantur) fremant, inquam, omnes licet, dicam quod sentio: nulla mehercule extant scientiae practicae, sed omnes, ne una quidem excepta, sunt theoreticae: quod commutatis dumtaxat, ponderatisque pualulum verbis, solis luce clarius apparebit. Quid namque, per fidem vestram, Audit, quid, inquam, aliud est *Theoreticum* esse, quam contemplativum, quam in contemplatione positum, quam quid natum ad intelligendum & cogitandum? Quid contra *Practicum*, nisi activum, vel actuosum, nisi quod in actione versatur, vel ad agendum comparatum institutumque est? Quaro nunc ego ex universo adversariorum coetu, an vel unus eorum existat, cui possit ne per somnium quidem in mentem venire, aut qui affirmare non vereatur, esse omnino ullam scientiam actuosam, ad actionem, ad agendum factam? Nulla prolixius, nulla ejusmodi est, aut esse potest; sed omnes in soli cogitatione & consideratione morantur, subsistunt, ac necessario detinentur. Verum non sum nescius, actionis nomen, agendique verbum, esse ambigua

apud ipsos ætatis æquæ scriptores Latinos, quorum princeps lib. 1. de Finib. (a) hæc habet: Hoc quidem apparet, nos ad agendum esse natos. Actionum autem genera plura, ut obſerventur etiam minora majoribus. Maxime autem sunt, primum, ut mihi quidem videtur, & iis, quorum nunc in ratione versamur, consideratio cognitione rerum Cœlestium, & earum, quas a natura occultatas & latentes indagare ratio potest: deinde rerum publicarum administratio, aut administrandi sciendique prudens, temperata, fortis, & iusta ratio, reliquæque virtutes, & actiones virtutibus congruentes, quæ uno verbo complexi omnia, honesta dicimus: ad quarum etiam cognitionem, & usum jam corroborati, natura ipsa præcurre, deducimur. Ex quibus perspicue intelligitur, Cicero nem genere actionum, & nomine, pro huius quadam generali accipiturque significanti ratione, ipsas quoque meras cognitiones contemplationesque fuisse complexum. Nihil in præsentia curo Cartesianos, contendentes mentem five intelligendi facultatem esse patibilem inertemque solummodo, secus vero actuosam, vel agentem. Cæterum cum Cicero ipse, Philosophi communiter omnes, præciatque latini, vetustissimi & recentiores consueverunt cognitionem & actionem, intelligere & agere, tanquam res duas, aut potius duos ejusdem rei modos, magno discrimine, ac genere toto distinguere, & separare. Uno quidem Cicero (b) & ex ipso Aristotelis testimonio ero contentus: Hi non viderunt, inquit, ut ad cursum equum, ad arandum bovem, ad indagandum canem; sic hominem ad duas res, ut ait Aristoteles, intelligendum, & agendum esse natum, quasi mortalem Deum. Longe itaque aliud est intelligere, aliud agere; alia res, cognitio, alia, actio; vel, reſta philosophandi proprietate, duo sunt unius ejusdemque rei modi maxime diverſi.

Mens una per se ac proprie intelligit, cognoscit, contempletur, cogitat, ratiocinatur, five quod est aliud simile verbum, quo id, quod volo, significem: ea sola omnem sibi cujusque generis, & cujusque modi vendicat cognitionem. Animus autem vere actuosus est, ad agendumque formatus: huius omnino propria sunt actiones universæ, quæ quidem ita nominantur, ut earum, cognitionumque appareant & sint alia & diverſa genera. Cognitiones sunt perceptiones verorum: Actiones autem bonorum appetitiones, declinationesque malorum, rerumque indifferentium, & mediarum. Cognitiones sunt veræ, aut falsæ; itaque veritas, falsitas, five error, earum extant proprietates. Veritas est mentis intelligentis conformatio cum idearum & rerum ordine: falsitas contra aut error est ejusdem mentis intelligentis distractio, alienatio, distortioque ab ordine illo. Sed actiones dicuntur, & vero sunt bonæ, aut malæ; honestæ, aut turpes; æquæ, aut iniquæ; piæ, aut impiæ; temperatæ, aut intemperatæ; fortes, aut ignavæ; prudentes, aut imprudentes; vel certe demum indifferentes ex parte rerum, quæ pro suæ conditione naturæ neque in honestis, neque in turpibus numerantur; sed ex fine tamen constituto, animique proposito earum appetitus, & fuga, ususque in alterutram partem torquentur. Ex quo intelligere par est, omnium actionum affectiones esse honestatem, & turpitudinem; (quibus omnes virtutes & vitii rationes complectimur) aut vero ex genere suo in neutram partem inclinationem, quam scholæ vocant indifferentiam. Honestatem (qua nunc recta omnium actionum affectio intelligitur) dicimus esse appetentis agentis

(a) Num. XXI. edit. ejusd.

(b) Lib. 2. de Finib. num. XIII. edit. ejusd.

niantur philosophi, divine de virtutibus differentes, qui tamen homines sunt impromissi, ac perniciosissimi cives? quot contra vitiorum naturas proprietatesque callent apprimere, qui sunt honestissimi viri, cultoresque societatis religiosissimi? Sed convenit, Auditores ornatissimi, aures omnium vestrum, animosque Cicero eloquentia paullulum recreare; qui Tuscularum disputatorium libro secundo (a) sic in hanc rem suum alloquitur auditorem: Hæc eadem (morum documenta) num censet apud eos ipsos valere, nisi admodum paucos, a quibus inventa, disputata, conscripta sunt? Quotus enim quisque philosophum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio postulabat? qui disciplinam suam, non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putet? qui obtemperet ipse sibi, & decretis suis pareat: Vide, licet alios tanta levitate & jactatione, iis ut fuerit non didicisse melius: alios pecunia cupidus, gloria nonnullus, multis libidinum serenos: ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio. Quamobrem est pro oratoris licentia & libertate tolerari queat, minime tamen, si ad Metaphysicam distinctionem & veritatem exigatur, ferendum est, quod Cicero ille ipse paulo supra eodem in loco ait; morum philosophiam mederi animis, inanes sollicitudines detrahere, cupiditatibus liberare, pellere timores; quemadmodum neque, quod paulo infra (b) subjungit, eandem philosophiam animi culturam esse; hanc extrahere vitæ radicibus, & præparare animos ad fatum accipiendos, eaque mandare his, & serere, quæ adulta fructus uberrimos ferant. Hinc profecto philosophia non animum colit, fructuosumque efficit; sed mentem instruit, doctrinamque reddit; quidque expetendum, quid agendum, fugiendumque sit tantum ostendit. Virtutibus autem coluntur animi, & vitiiis depravantur, virtutumque ac vitiorum usu & consuetudine sunt in dies magis, magisque frugiferi honestarum aut turpium actionum, quibus initio peccata detentim affueſcunt. Cicero enim equidem confentio, turpissimum esse, philosophorum moralium vitam cum eorum pugnare oratione atque doctrina. Cæterum (ut eodem simili utar, in quo ille priore memorato loco versatur) sicut, si grammaticum se professus quisquam, barbæ loquitur, aut si abluere canat is, qui se haberi velit muscum, hoc quidem turpis sit, quod in eo ipso peccet, cujus proficitur scientiam; neuter tamen grammaticus esse, aut Muscus definit: sic Moralis philosophus in ratione vitæ peccans; hoc utique turpius est, quod officio, cuius magister esse vult, labitur, artemque vitæ professus, delinquit in vitæ; non propterea tamen suam amittit philosophiam, aut quidquam ex ea perdit. Non est ergo ista philosophia (nec ulla scientia alia) non est, inquam, practica, non est actuosam, non agit quicquam; sed in una virtutum, quæ morales aut voluntaria appellantur, vitiorumque dissimilium, & naturalium legum, & humanarum actionum, quæ legibus eisdem circumscribuntur, contemplatione manet defixa.

Quod si forte, ut vici, ita persuasi, adversarii ingenue confitentur, (id quod ex dictis patet luculentissime) non esse illam quidem intrinsecus, intimaque natura practicam & actuosam, quasi ipsa per se & ex se agit, aut reddat hominem actuosum, & revera agentem; sed tamen contendunt, talem extrinsecus esse, hoc est ita eam nominari, & propterea quod rerum agendarum, virtutum & vitiorum, atque actionum humanarum influatur disputationem: primum, quæ-

so, videant, ne simili quadam ratione dici quoque possit coloratus oculus, quippe qui colores, & corpora colorata intueatur: videant, ne facultates vireque omnes, cum naturalibus, tum adventitiis & rebuſ externis, in quibus sunt occupatæ, aut in quas suapte natura quoquo modo feruntur, nomina consequantur; ex quo eadem etiam moralis philosophia vocetur prudens, iusta, fortis, temperans, contrariis que obtineat appellationes: utpote quæ virtutes & vitia rimatur, expendit. Videant deinde, ne hac via scientiæ omnino omnes, ea tanquam excepta, quæ Deum contemplantur, evadant, non dicam, practica & actuosæ, sed, quod plus est, effectrices. Res namque omnes, rerumque modi, præter Deum unum, efficiuntur. Quapropter philosophia morum si extrinsecus practica & actuosæ recte dicatur, a rebuſ nimirum agentibus, in quarum studium explicationemque incumbit, appellatione usurpata; ego scilicet non video, neque plane cerere possum, cur scientiæ universæ, quæ effectas, efficiendasque res explanant, effectrices non debeant pari jure, ac merito extrinsecus nuncupari. Etenim non minus Physica, aut Physico-Mathematica Mechanicæ leges & rationes, effectrices causas, earumque nexus, vires, effectus, quæ vicissitudines & qualitates efficiuntur; quam Ethica morum officiorumque omnium leges tradat, finium; & eorum, quæ ad fines conducunt, series, & momenta explicet, animorum vim, virtutum ac vitiorum, actionumque humanarum naturam, indolem, & efficacitatem commoretur, ac patefaciat. Quo jure igitur hanc quis practicam actuosamque nominaverit, eodem ego priorem illam, quæ res effectas, efficiendasque pertractat, effectricem appellabo.

At sane bene provideo, impigre hic mihi & animosæ occurſuros adversarios doctores, idque naturale diducos philosophiam a scientiâ rerum naturalium distare; quod hæc nos minime instruat, quemadmodum res illas, quas eadem cognoscendo versat, ipsi efficiamus: neque enim a nobis efficiuntur, aut effici possunt; utque efficiamus aliquas, sicut cum nosmetipsos nutrimus, vel nostrum similes generamus; hæc tamen hæc molimur ipsius naturalis scientiæ lumine, ductuque illius, aut legibus, quas illa tradit, arbitrio nostro subjectis, adhibitisque; sed cæca earum vi, nobisque ignota ratione. Quod si pro voluntate nostra illa uti scientiâ possemus, nihil impedimento fore videtur, quominus practica haberetur atque effectrix. Hinc est, quod quæ in Deo extat rerum omnium conditarum scientiâ, earum causa perhibeatur: hinc & Medicinâ, hinc Architecturâ, hinc & reliquis omnes five artes, five disciplinæ, quarum eruditione & usu homines quicquam efficiunt, cum practica tum effectrices & nominantur, & existimantur; etſi ceteroquin sint mentis intelligentis habitus. Philosophia autem moralis, quæ est ipsissima universi juris Naturalis disciplina, res a nobis agendas investigat, naturæ leges, quibus ipsi scientes atque volentes pareamus, moreſque nostros conformemus, interpretatur, omnesque nostras, quæ in finem aliquem comparantur, actiones perpendit: quid ergo causæ est, cur non practica, cur non actuosæ censetur? Hæc, fateor, me diu multumque cogitantem, non tam quidem rationum momento, quam auctoritatis virorum excellentium pondere suspensum atque incertum tenere. Sed dabunt, spero, illi mihi hanc veniam, ut (salvo, quod ipsi debetur, officio) in mea sententiâ constanti

(a) Num. IV. edit. Verb.

(b) Ibid. num. V.

ti fortique animo stare pergam. Itaque probo e quidem (quis namque non probet, quod per se evidens est?) alias esse scientias rerum, quae nec efficiuntur a nobis, nec effici queunt, usu saltem scientiarum earundem; alias autem rerum illarum, quas nosmetipsi agimus, atque perficimus. At vero quid tum postea? Non id nunc quaerimus, Auditores, utrum aliqua agendarum efficiendarumque rerum scientia exteat; sed illane ipsa scientia res ejusmodi agant, efficiantque: quaerimus, num scientia per se in actione & effusione versetur; vel, ut verius dicam, an scientia ipsa sint vires & efficientia, quibus, qui illis praeditus sit, agat aliquid, atque efficiat. Hoc porro est, quod ipse nego, ac vero pernego. Do libenter, ac facile concedo, scientias istas docere, & aperire, quid, ac quomodo agi, atque effici debeat; sed eas agere, aut efficiere constantissime diffiteor. Sunt illae quidem faces, quae causam agentem, efficientemque, illuminant; Sed vires, sed facultates actuosae, potestatesque efficientes, quibus causa ipsa instructa agat, efficiatque, certo certius non sunt. Quocirca haec rerum, five agendarum, five efficiendarum scientia similes mihi quodammodo videntur homini, & pharo, qui, cum maneat ipse immotus, viam euntibus, portumque navigantibus montat. Haud equidem inficias iverim, divinarum rerum omnium conditam scientiam, earum causam dici & esse; non causam tamen agentem & efficientem, sed dirigentem, & remote etiam solummodo, atque pendentem exemplaria, aut formas archetypas, rationes ac leges rerum earundem; quas Deus condidit subinde voluntate sua, summaque potentia, quae unum est a reliquis divinis *Atributis*, non re quidem, verumtamen intelligendi ratione distinctum. Mitto nunc dicere singillatim de Medicina, de Architectura, ceterisque artibus omnibus & disciplinis, quae res mortalium opera efficiendas speculantur: de quibus quid sit sciendum dicendumque, ex dictis modo satis comperitur est. Ad philosophiam morum, jurisque Naturalis scientiam venio; quae nostra causa est. Hanc rursus ajo, quemadmodum antea aiebam, esse unius mentis intelligentis, & raciocinantis habitum: quae eidem menti, alio respectu actuosae, animoque agentis rationes & leges exhibeat, sufficiatque; ad quas omnes componantur actiones: ipsa vero suapte natura actuosa non est speculativa: non agit, sed intelligit. Non agit autem? immo vero ne movet quidem, neque suadet, neque hortatur ad agendum; sed monet tantum & indicat, quid bonum, quid malum sit, quid agere & non agere oporteat; hoc est, quod verum, quod falsum, animo sit amplectendum, vel repudiandum declarat. Non jubet, aut vetat ut Domina; sed docet tanquam Magistra: neque praecipit leges servare ut princeps; sed eas solum enunciat & promulgat ut praeco, vel etiam promunere interpretis explicat. Philosophia denique haec non providet, non inquit consilium, non de liberat, neque imperat animo, ut agat, aut cesset: nam haec omnia munera sunt mentis propria; mentis, inquam, non ut ipsa quidem moralis philosophia cumulat; sed quatenus prudentia, hujusque pedissequis aucta, ornataque est; & quatenus anticipato aliquo animi affectu excitatur; qui affectus saepe ex una simplici rei convenientis, aut inconvenientis perceptione enascitur, eoque affectu urgetur mens eadem ad providentiam, ad consultationem de iis, quibus finis positus obtineatur, ad deliberationem, ac demum ad imperium ferendum, quo animus certissime ad actionem inducitur, vel vero ab agendo retrahitur. Ex quibus necessaria consequentione confici-

tur, finem Moralis Philosophiae proximum, proprium, omninoque intimum unam esse intelligentiam; illius vero finem, dumtaxat remotum, externum, & extraneum, actionem: in quam per se, proprie, ac proxime mens, quae actuosa est, animusque contendunt, prorumpunt. Natura autem & genus scientiae cujuslibet, omnium confessione, ex sine proprio, proprio, internoque, secus remoto & extraneo, pensatur ac pender. Reliquum ergo est, ut Philosophia illa suapte natura, & intime sit Theoretica, seu contemplativa; solum vero extrinsecus, & improprie, Practica, vel actuosa; sic nimirum ab actionibus, agendisque rebus, quas ipsa tamen non edit, nec agit, nuncupata.

Sed quorsum haec spectat tam longa, tam subtilis, & tam alte repetita oratio? Quorsum? ut intelligere quisque possit, juris naturalis & gentium disputationem, quae Ethicae ambitu amplissimo continetur, nequaquam ea de causa a Metaphysica, hoc est, hujus parte altera, *Noologia*, separandam, removendamque esse; quod haec sit genere Theoretica, Ethica autem ipsa, Practica. Ceterum hoc loco pulsi adversarii in alium, ut potest quidem ipsis videri, se se recipiant manifestissimum; unde me multo vehementius urgeant. Age porro, inquit, si tamen inquit, age; sunt, si vis, Philosophia Moralis & Metaphysica generis communione similes: esto utraque, vere ac proprie, genere Theoretica: tamen facere non potes, quin scientia duae sint speciei differentes; quales usque in hanc diem semper habitae fuerunt. Altera namque res in actione positae contemplatur, quamquam eas non agit; altera res considerat ejusmodi, quae solum intelligi & sciri, non autem agi possunt, neque ab ipsa scientia, neque ab ulla facultate reliqua. Quemadmodum ergo Physica & Geometria speciei differunt, quia rem aliam, atque aliam, vel si eandem, alio certe atque alio modo cognoscendam, sibi subjectam habent; ita minimum, quando non multo quidem magis, Metaphysica & Ethica distinguuntur. Quae si vera sunt, frustra ego, Audit, ac misere tempus omne contrivi; oleum, ut dicitur, atque operam perdidit; & quod caput est, vos sine causa atque adeo impudenter, longe nimium fatigavi. Postquam enim non ipse modo concessi, verum etiam confirmavi, jus Naturae & Gentium universae Philosophiae Moralis proprium esse; quid ego facere ineptus poteram, quid absurdum, quam in ejusdem juris tractatione, tanquam in regno suo Metaphysicam collocare; si haec quidem duae sunt scientiae forma, haud potest aliud quicquam effici & obtineri, quam, quod ex Leibnitio dicebamus, Metaphysicam & Ethicam socias vires conjugere; & illam quidem communes notiones ac generalia principia, hanc vero propria & peculiariter conferendo in istiusmodi juris interpretationem: quam proinde suam omnino facit Ethicam universam; cui subsidium tantum, opemque lacura Metaphysica accedat: sicut Hugoni Grotio in opere de jure Belli ac Pacis opus fuisse vidimus.

Verum adestote animis, Aud. vosque etiam atque etiam rogo, ut meminisse velitis illius de vobis optima opinionis meae, qua ad dicendum ingressus sum, pro certo habens, nihil vos istud praedudicatum attulisse, nihilque plus, ad res quod attinet philosophicas, hominum auctoritati tribuere, quam quod ratio persuadeat: qua ego etiamnum opinione confirmatus non est, quod veraciter aperte ac liberius negare, Ethicam & Metaphysicam ne speciei quidem inter se esse diversas; sed priorem posterioris, hoc est alterius hujusque partis, *Noologiam* quam dico, partem afferere.

tere. Sentio enimvero, fieri haud posse, quin hoc audientes commoveamini: non minus vera, quam falsa, dum nova & inopinata eveniunt, hanc habent vim animos commovendi: neque Ratio, sed naturae & consuetudinis vitium perturbationum omnium fons & causa est: quo eodem vitio factum fuisse puto, ut non modo de vulgo homines, sed philosophi quoque, quin isti forte magis, quam illi, pro vocum ferme numero & copia notionum, res ipsas, rerumque formas extra mentem, praeterque intelligentiae rationem multiplicaverint; non animadvertentes voces plurimas eo duntaxat fuisse excogitatas, ut praecise diceretur, quod ceteroqui longa esset oratione effendum; notionumque pluralitatem non res plures, sed multiplices rei ejusdem respectus, ac modos representare. Suxcenta possem proferre exempla. Unum & alterum attingam. En: Nomina similitudinibus & aequalitatis ansam praebere philosophis bene multis, ut res, minutulas quidem, sed res tamen ab iis, quas similes & aequales nominamus, distinctas atque diversas comminiscerentur: atqui nomina illa una tantum contrahendi sermonis gratia, ipsa duce natura, quae simplicitati studet, & ad unitatem, quoad fieri potest, propius contendit, inventa sunt. Ne enim, e. c. dicere cogere, paries A est albas, itemque paries B albus; factum est, ut eos albedine similes diceremus; ac rursus uno verbo aequalia dicimus corpora, quorum unum tam magnum est, quam magnum est aliud. Putare autem similitudinem & aequalitatem res esse vel tenuissimas, eis, quae similes & aequales pronunciantur, adjunctas & inherentes; id profecto est non differentium philosophorum; sed somniantium? similiter etiam arbitrari, varia esse motuum genera; ita, ut alius sit motus ex loco in locum; alius, quem *alterationis*, alius, quem *rarsifactionis* appellant, & genera alia. Nullum namque motum, nullamque corporum mutationem intelligendo consequi possumus, nisi ex loco in locum, vel totius quidem corporis, vel partium ejus. Quid, amabo, est hominis faciem rubere, quam sanguinem ab interiore loco ad cutem externam fluere? Quid corpus rarefcere, quam hujus particulas, quae sibi intime cohaerebant, paululum a se ipsis diltrahi? in quibus si quis aliud quidpiam praeter motum ex loco ad locum intelligit; somniat, ne dicam, delirat. Hanc porro ex nominibus ac mentis notionibus vanam rerum multiplicandarum fecunditatem, si non in totum, ex parte saltem, acri olim censura perstringebat, non acutus quidam sophista, sed majorum sane gentium de schola Philosophus atque Theologus; Dominicus Soto, loquor, Dominici Ordinis decus, & ornamentum: qui dum tertium Aristotelis librum de Physica Auscultatione (a) commentabatur, haec aiebat: *non ignoro, Thomistas plerisque persecutari auctoritate S. Th. quibus entitates istas multiplicent; nihil aliud profecto facientes, quam gravissimum philosophum obscurum, atque adeo inuisum reddere. Ego tamen certus sum, S. Thom. non multiplicasse hujusmodi relationes, aut entitates ad sensum istorum: & quando contrarium in illo reperire, aut expnerem; aut nihil crederem ejus honoris & auctoritati obviare, si in rebus his minimis communem potius modum concipiendi amplecterer. Nuperi autem philosophi toti quidem in eo fuerunt, ut a Philosophia res ejusmodi commentitias referrent: at enim horum etiam saltum quadam effugerunt. Omnes, quantum scio, hoc adhuc tempore Medicinae scientiam (si qua tamen in hominibus extat scientia nomine digna) Physica ren-*

tur specie discrepare, sola nominum varietate decepti. Nam Physica, inquam, corpus mobile contemplatur; Medicina vero corpus sanabile subicitur cognoscendum; quoniam ergo, concludunt, alia est forma, five ratio sanabilis, alia corporis mobilis, consequens fit, ut ipsae quoque Physica & Medicina duae sint scientiae forma aut specie diffimiles. Praecclare id quidem. Verum sanabile quid significet, explicemus; continuoque haec formae variae, haec differentiae & diffimilitudines evanescent. Quid porro, per vestrum genium, Aud. quid est corpus sanabile, nisi ex morbo ad sanitatem mobile, & a loco quidem in locum; non jam motu totius corporis ab una ratione orbis terrarum in aliam, sed certe particularum & partium motu, aut velociore, aut tardiore, constantiorique, aut denique ex loco ipsis inconvenienti ad locum aptum & accommodatum toto ipso in corpore; cujus sanatio, & sanitas nihil sunt profus, quam aequabilis motus a loco in locum, & recta atque idonea partium inter se solidarum atque fluentium constitutio: quemadmodum aegrotatio ac morbus, motus contrarius est, postisque adversus. Varia quidem motuum nomina & genera a Medicis audiuntur, ut motus peristalticus, tonicus, convulsivus, oscillatorius, excretorius, alique bene multi: sed omnes tamen sunt, ac fiunt ex loco in locum per lineas rectas, curvas, spirales, ceteras: omnesque easdem servant communes ac generales, ab Auctore naturae positas, motus universi leges. Pro materia autem magnitudine, pro figura, ceterisque affectionibus, varioque partium concursu & impetu, motus idem, qui est a loco in locum, innumeras contrahit modificationes; quae nec sensu possunt, neque intelligentia comprehendi. Hinc, ut nihil dicam, quam incerta appareat faciunda Medicinae ratio, nemini profecto dubium superesse crediderim, illius scientiam vel disciplinam nequaquam specie distingui a Physica, sed hujus partem quamdam esse, quam scilicet *integrantem* appellant: qualis & Trigonometria se habet ad Geometriam universam. Alioquin tot esset physica, & geometricae scientiae forma ac specie difformes, quot sunt corporum naturalium, linearum, superficiarum, & figurarum differentiae: sicque specie distingueretur physica scientia, quae de terra haberetur, ab ea, quae esset de aqua; alia Geometria trianguli, alia circuli: quo vix quicquam potest dici absurdius. Non ergo ex nominibus, non ex notionibus variis, sed ne ex rebus quidem ipsis, inter se maxime diversis, sunt scientiarum divortia, aut discrimina extant. Verum ea est forma ac specie una scientia, quae eadem communi intelligentiae ratione ac forma, iisdemque propriis principis utitur in rerum plurimarum investigatione; quae, esto, inter se comparatae summo opere discrepent; cognitionis tamen, hujusque principiorum communione conveniant.

Spero nunc, Aud. vos aliquantum factos esse in meam sententiam procliviores, aut certe ab illa non adeo abhorretere; quia Philosophiam Moralem statuo non esse a Metaphysica differentem specie: sed partem ejus, aut partem, hoc est *Noologiae* partem facio: quae sententia multo ut vobis apparere incipiat credibilior; illud velim primum cogitatione vobiscum reputetis, vel Deum Opt. Max. suas habere actiones, quibus Epicurus fictos illos Deos suos spoliabat, actiones, inquam morales, moralibusque praestare virtutibus, illis utique, quae suo ex genere, aut notione sua absoluta, nulla respurgantur labe defectus. In memoriam vobis redacite Dei sanctitatem, providentiam.

a) Quasi r. conclus. 5.